

Glo patrum, diuersisq; consiliorum acerbat fraudibus: & circuire in insidiis moliebatur, sed omnes eius apparatus propheta deprehēdebat, & vigore mētis p gratiam dei vbique presens, cogitationes hostiū suis annūciabat, & monebat quibus cauerent locis. Quod vbi regi Syriæ manifestatū est, misso exercitū clausit pphetā. Orauit Heliseus, & omnes illos cecitate parti fecit, & captiuos intrare Samariā, qui venerat obfidere eū. Conferamus hoc ocium cū aliorū ocio. A lii enim requiescendi causa abducere animū a negociis solent, & a cōuentu cōtūq; hominū subtrahere sese, & aut ruris petere secretā, capere agrorū solitudines, aut intra urbē vacare animo, indulgere quieti & tranquillitati. Heliseus autē aut in solitudine Iordanē transitu suo diuidit, vt pars defluat posterior, superior autē in fontē recurat, aut in Carmelo, resoluta difficultate generādī, inopina sterile conceptione fecundat, aut resuscitat mortuos, aut ciborū tēperat amaritudines, & facit farinæ admixtione dulcescere, aut decē panibus distributis reliquias colligit plebes saturata: aut ferū securis excussit, & in flumi Iordanis mersum profundo, misso in aquas ligno facit supernare, aut emūdatiōne leprosum, aut siccitatē imbribus, aut famē mutat fecunditate. Quando ergo iustus solus est, qui cū deo semper est? Quādo solitarius est, qui nunq; separatur a Christo? Quis nos, inquit, se parabit a dilectione Christi? Confido quia neq; mors, neq; vita, neq; angelus. Quando autē feriatur a negotio, qui nunq; feriatur a merito, quo cōsummatu negotium? Quibus autē locis circūscribitur, qui totus mundus diuitiarū possessio est? Qua estimatiōne definitur, qui nunq; opinione cōprehenditur? Etenim quasi ignoratur & cognoscitur, quasi moritur & ecce viuunt, quasi tristis & semper lætior, vt egenus & largus, vt qui nihil habeat, & possideat oia. Nihil enī spectat vir iustus, nisi quod cōstans & honestū est. Et ideo etiā si alii videatur pauper, sibi diues est: qui non corū que caduca, sed corū quæ eterna sunt estimatiōne censetur.

Roma. 8.

Honestū & vtile apud Christianos vnū esse, qui nō cōmoda tēporalia sequimur, sed æterna. Caput. II.



I quoniam de duobus superioribus locis diximus, in quibus honestū illud & vtile tractauimus, sequitur vtrum honestatē & vtilitatem inter se cōparare debeamus, & quærere quid sit sequēdum. Sicut enim supra tractauimus vtrū honestum illud an turpe esset, & secundo loco vtrum vtile an inutile: similiter hoc loco vtrum honestum sit an vtile, nonnulli requirēdum putant. Nos autē mōnemus ne hæc inter se velut compugnantiā inducere videamur, quæ iam supra vnū esse ostendimus: nec honestum esse posse nisi quod vtile, nec vtile, nisi quod honestum, quia non sequimur sapientiam carnis, apud quam vtilitas pecuniariæ istius commoditatis pluris habetur, sed sapientiam quæ ex deo est, apud quam ea quæ in hoc seculo magna estimantur, pro detrimento habentur. Hoc enim catorthoma quod perfectum & absolutū officium est, a vero virtutis fonte proficiscitur. Cui seculum est cōmune officiū, quod ipso sermone significatur non esse arduæ virtutis ac singularis, quod potest plurimis esse cōmune. Nam pecuniæ cōpendia captare, familiare multis: elegantiori cōiunio & suauioribus delectari epulis, vitatum est. Ieiunare autem, & cōmētē esse, paucorum est: & alieni cupidum non esse, rarum est. Contra autē detrudere velle alteri, & nō esse contentū suo. Nam in hoc cū plerisq; consortium est. Alia igitur prima, alia media officia. Prima cum paucis, media cum pluribus. Deniq; in iisdem verbis frequenter discretio est. Aliter enim bonum deum dicimus, aliter hominem: aliter iustum deum appellamus, aliter hominē. Similiter & sapiētē deum aliter

dicimus, aliter hominem. Quod & in euangelio docemur: Estote ergo vos perfecti, sicut & pater vester qui in cælis est, perfectus est. Ipsum Paulum lego perfectū & nō perfectū. Nam cū dixisset: Non quod iam acceperim, aut iam perfectus sim, sequar autē sic vt cōprehendam: statim subiecit: Quicūq; ergo perfecti sumus. Duplex est enim forma perfectionis: Alia mediocris, alia plenior numeris habens. Alia hic, alia ibi. Alia seculum hominis possibilitatem, alia seculum perfectionem futuram. Deus autem iustus per omnia, sapiens super omnia, perfectus in omnibus. Inter ipsos quoq; homines distantia est. Aliter Daniel sapiens, de quo dictum est: Quis Daniele sapiētior? aliter alii sapiētēs. Aliter Salomon, qui repletus est sapientia super omnem sapientiam antiquorum, & super omnes sapiētēs Aegypti. Aliud est enim cōmunitē sapere, aliud sapere perfecte. Qui cōmunitē sapit, pro temporalibus sapit, pro se sapit, vt alteri aliquid detrahatur, & sibi adiungatur. Qui perfecte sapit, nescit sua spectare commoda, sed ad illud quod æternum est, quod decorum atq; honestum, toto affectu intendit, quærens nō quod sibi vtile est, sed quod omnibus. Itaq; hæc sit formula, vt inter duo illa honestum atq; vtile errare nequeamus, eo quod iustus nihil alteri detrahēdum putet, nec alterius incommodum suum commodum augeri velit. Hanc formam tibi prescribit Apostolus dicens: Omnia licent, sed non omnia expediunt. Omnia licent, sed non omnia edificant. Nemo quod suum est querat, sed quod alterius. Hoc est, nemo cōmodum suum querat, sed alterius: nemo honorem suum querat, sed alterius. Vnde & alibi dicit: Alter alterum existimans superiorem sibi, non quæ sua vult singuli cogitare, sed que aliorum. Nemo etiam suam gratiam querat, nemo suam laudē, sed alterius. Quod euidenter etiā in Proverbiis declaratum esse aduertimus, dicente sancto per Salomonem spiritus: Fili si sapiens fueris, tibi sapiens eris & proximi. Si autem malus euaferis, solus haures mala. Sapiens enim alius cōsulit, sicut iustus: quandoquidem cōsors sui est vtriusque forma virtutis.

Matt. 5.

Philip. 3.

Ezech. 28

1. Cor. 10.

Philip. 2.

De calumnia reprimenda, & beneficētia cunctis exhibenda. Exēplum de harmonia mēbrorū, que singula singulis obsequuntur. Caput III.



S quis igitur vult placere oibus per omnia, querat non quod sibi vtile est, sed quod multis, sicut querebat & Paulus. Hoc est enim conformari Christo, alienū nō querere, nihil alteri detrudere vt acquirat sibi. Christus enī dñs cum esset in forma dei, exinanuit se vt formā susciperet hominis, quā operū suorū locupletaret virtutibus. Tu ergo expolias, quæ Christus induit? Tu exinis quæ vestitū Christus? Hoc enī agis quādo alterius detrimento tua cōmoda augeri expensis. Cōsidera o homo vnde nomen sumpseris, ab humo utiq; quæ nihil cuiq; eripit, sed omnia largitur oibus, & diuersos in vsum omnium animātium fructus ministrat. Inde appellata humanitas, specialis & domestica virtus hominis, quæ cōfortē adiuuet. Ipsa te doceat forma tui corporis, mēbrorūq; vsus. Nūquid mēbrū tuū alterius mēbrī officia sibi vendicat, vt oculis officiū oris, aut os oculi officiū sibi vendicat, aut manū pedū ministeriū, aut pes manū? Quin etiā ipse manus dextera ac sinistra dispartita habet officia pleraq; vt si vsum cōmutes vtriusq; aduersum naturā sit: prorsus totū hominē exuas, q̄ mēbrorū tuorū ministeria cōuertas, si aut de sinistra abis suggeras, aut de dextera fungaris ministerio sinistre, vt reliquias ciborū abluas: nisi forte poscat necessitas. Finge hæc & da oculo virtutē, vt possit detrudere sensum capiti, auditū auribus, menti cogitationes, odorati naribus, ori saporē, & sibi conferat, nonne omniē statim dissoluet naturæ?

M